Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-265852-p0001-9

Index contentorum.

1. De balſamo Peruviano
2. de prudenti virium medicamenti exploratione.
3. de erroribus circa uſum topicorum in praxi.
4. de natura & præſtantia vini Rhenani
5. de Bradypepſia
6. de purgantibus fortioribus ex praxi eiiciendis
7. de anatomia publica.
8. de luxationum ſyntheſi in genere.
9. de auditu difficili
10. Ulcerum ætiologia & curatio
11. de purgantibus ſelectis & minus cognitis.
12. de ſpecificis antiſpaſmodicis.
13. de perpetuo ſtillicidio ex thorace.
14. Pathologia duumviratus Helmontiani.
15. de morbis lienis
16. de affectu raro ſcorbutico puſtulari.
17. annorum climactericorum rationalis explicatio.
18. de ſpecificis antiſpaſmodicis.
19. de bile medicina & veneno corporis.
20. de Carolinis thermis.
21. de temporibus anni inſalubribus.
22. de temperamento fundamento morum & morborum.
23. de morbis certis regionibus & populis propriis.
24. criſium natura & explicatio rationalis.
25. de inflammatione ventriculi.
26. de ſiderum in corpora influxu.
27. de methodo vitam longam acquirendi. Wolfii epiſtola.
28. medicus ſui ipſius.
29. de aſthmate convulſivo cum hydrope pectoris
30. de anatomes in praxi medica uſu.

X c. 33..

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-265852-p0002-5

# JOHANNIS ADAMI HOFSTETERI,

Medicinæ Doctoris & Practici Hallenſis,

# EPISTOLA GRATULATORIA,

(In qua ſumma medicorum hujus & ſuperiorum temporum autoritas & excellentia e Jure & Hiſtoria demonſtratur,)

ad

*NOBILISSIMUM atque DOCTISSIMUM VIRUM-JUVENEM*

DOMINUM

## JOH. GODOFREDUM GRUHLMANNUM,

Grimma-Miſnicum,

LAUREAM DOCTORALEM SPECIMINE INAUGURALI EGREGIO IMPETRANTEM.

---

Halæ Magdeburgicæ, Typis Johannis Gruneri, Acad. Typogr.

9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-265852-p0003-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-265852-p0004-6

NOBILISSIMO atque DOCTISSIMO
VIRO-JUVENI

# DN. IOHANNI GODOFREDO GRUHLMANNO,

Amico ſuo Integerrimo,

*S. P. D.*

## D. JOHANN ADAMUS Hoffſteter.

MUlta quamvis adverſus *nobilitatem & dignitatem Medicorum* machinentur invidioſi, multæque *Eorum honoribus* variis ex cauſis ſtruantur inſidiæ, *Tiraquello* forſitan autore, qui ſuſpecta quædam habet verba, (a) ajens: *Ob liberalem artem vel ob medicinam*; è quibus, *hanc* à liberalibus artibus ſejungi & mechanicis vulgaribus annumerari, probare ſatagit. Nihilominus tamen, quid, quantumque valuerint & admodum valeant medici prudentes, non tam contra *Tiraquellum* (huic enim ſatisfecerunt jam ſufficienter *Mœbius* b) & *Obicius*) e) quàm alios eorum obtrectatores evincere conabor. Etenim penes *Theologum* & *JCtum* Medico quoque ingentisſima ſua manet laus ac celebritas: imò eò *Albertus Gandinus JCtus* d) dignitatem Medici extendit: ut hunc *JCto* præferret, argumentô rei à nobilitate rerum tractandarũ deſumto: quando *Theologum de anima*, Medicum de animato corpore, *JCtum* verò *de rebus inanimatis ſolùm*, agere refert. Quam ſententiam, limitatam quidem *à Franciſco Valleſio*, e) licet noſtram non faciamus, & prærogativam JCtis lubenter concedamus: tantum tamen abeſt, ut dignitati Medicorum aliquid exinde derogetur: ut potiùs nobilitati & excellentiæ eorum demonſtrandæ prolata plus faveant. Et, ut ab ovo, quod ajunt, rem exordiamur; ipſe *Sacer Codex* f) Eorundem ipſorum eminentiam ſufficientiſſimè indicat, dicens: *Honora* medicum *propter necesſitatem*, *etenim creavit* illum Altisſimus: *à DEO enim eſt omnis medela, & á* Rege *accipiet donationem. Diſciplina* Medici *exaltabit* caput ejus, *& in conſpectu* magnatum *collaudabitur*. Cujus quidem contextûs verba priora, ubi creationis Medici mentio fit, vel ex mente *Cornel. Janſenj* g] interpretanda: ſcilicet Divinum Numen certis individuis humanis inclinationem quandam ad ſtudium hocce Celſiſſimum imprimere, illorum ſtudia promovere, ac ingenia illuſtrare; vel ſecundùm *Nicolaum de Lyra* h) ita declaranda: ut creatio promotionem ad dignitatem denotet. Quod ipſum veteres etiam agnoviſſe Ethnicos maximè vero-ſit-ſimile, cum è *Galeno*, i] *Herophilũ* pharmaca *Deorum ma-*

*a] ff. de op[...]*
*L. ¦ ambitio[...]*
*Tiraquelli*
*num. 408.*
*nobilit. & [...]*
*b] Fund. ph[...]*
*ſiol. c. 2. §.*
*p. 22.*
*c] de nobil[...]*
*medici paſſim, potiſſimum aute[...]*
*à p. 52. ad [...]*
*d] tit. de a[...]*
*quibus quæ[...]*
*var. col. pe[...]*
*nul. q. inſuper*
*e] de Sacr. philoſ. c. 7*
*f] Eccleſia[...]*
*c. 38. v. 1. 2*
*g] in expoſ[...]*
*Eccleſiaſt. [...]*
*hæc verba*

*h] in Gloſſa ad hunc loc. i] de med. compoſ. ſec. loc.*




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-265852-p0005-1

*nus* nominaſſe, conſtet. Scientia deinde Philoſophica, Ethico-Phyſico-Mathematica imprimis, quâ neceſſariò *verus* medicus imbutus eſt, de dignitate hujus teſtatur: adeò enim arctô vinculô philoſophus & medicus invicem junguntur, ut hic illius tradita proſequatur, inque finem practicum dirigat; unde & Medicina Philoſophiæ pars *Politiano* & *Diocli* k) audit, & *Democratus* l] cognitionem ſapientiæ ſeu Philoſophiam ſororem medicinæ atque contubernalem, æſtimat, quo cum conſentiunt *Galenus*, m) *Ariſtoteles*, n) & *Hippocrates*, o) *pluresque alii*. p] Quanti verò æſtimati ſint olim & nunc etiam *ſublimiores Philoſophi Mathematici & rerum naturalium ſcrutatores indefeſſi*, eorumque ſcripta, hiſtoria literaria q) abundè monſtrat: ſic, ut Reges quoque eadem magni feciſſe ac Philoſophorum ſectatores extitiſſe nos edoceat; quod unicô, palmariô tamen de Regibus Perſarum exemplô probatum ibo; Hi ſiquidem, uti è *Cicerone* r) conſtat, ad regni gubernacula non accedebant nec admittebantur, niſi magicâ (h. e. rerum naturalium divinarumque) ſcientia ac ſapientia, quæ vera philoſophia eſt, imbuti fuerint. s) Patet exin *objecti Philoſophorum nobilitas & excellentia*, cui affine & ſororiô vinculo junctum ac incorporatum quaſi eſt & *objectum* medicorum, *corpus ſcilicet humanum vivens, creatura poſt Angelos nobiliſſima & excellentiſſima*, è cujus cura dignitatem & nobilitatem naturæ miniſtri ſummam indipiſcuntur: Sanitas quippe finis medicorum nobiliſſimus ſecundùm *Obicium* t) *tam pretioſum eſt bonum, citra quod certum habemus, quod neque divitiarum neque corporis neque ullius alterius rei ulla aut voluntas aut fructus eſt; verbo: ſine qua homo nihil eſt*; hinc *Plutarchus* u) *ſanitatem maximè divinum & blandiſſimum vitæ condimentum* aptiſſimè conſtituit. De cujus pretioſitate multa etiam conſcripſit *inſenſus quàmvis ſubtilis tamen medicorum cenſor*, Tiraquellus w) & piiſſimus Theologus Scriverus, †) Hæc benedicente DEO unicè medicorum ope integra conſervatur, morbisque labefactata aptis remediis & auxiliis reſtituitur; quam ob cauſam non ſolum *benè conſtitutæ Res-publicæ* in tutelam ſanitatis ſuorum civium, (quale quid & priſcis temporibus obtinuit, dum *Theonem* & *Glaucum* Alexandriæ, *Cyrum* Edeſſæ, archiatros fuiſſe ex Aetio *] & Myrepſo **] conſtat] ſed ipſi *ſummi Imperatores ac Principes, quos Deos terreſtres Scriptura Sacra* x) nominare non veretur, *iſtorum* ſubſidium & expetunt, & olim etiam expetierunt, *tantosque artifices* in Amicorum & Comitum ſuorum numerum aſciverunt, atque Comitivâ Archiatrorum (Jure quodam dignitatis,) *nunc primi nunc ſecundi nunc tertii ordinis*, quos ordines triplices enumerat Euſebius, y) ornaverunt. Extant de his verba in Codice z] ſequentia: *Archiatros*

] *in Epiſt.*
*uâd. ad An-*
*igonum*
] *in Epiſt. ali-*
*ua ad Hip-*
*ocr.*
*n*] *lib. de*
*pt. ſect.*
] *lib. d. ſenſ.*
& *ſenſib. c. 1.*
] *lib. d. de-*
*enti ornatu*
*r. V. VI. p.*
*dit. Lind. 55.*
*om. 1.*
] *Conf. huc*
*Plutarch. lib.*
*l. tuenda*
*valetud.*
] *adi Came-*
*ar. Hor. ſub-*
*iſ. cent. 3. c.*
*5. p. m. 237.*
] *de divinat.*
*1.*
] *Fuſiora pe-*
*e ex Obic. all.*
*r. dial. 2. p.*
*36. 237. it.*
*us den ge-*
*eimen Un-*
*erredungen*
*on der ma-*
*ia natura-*
*p. 13. 14. 15.*
*& c.*
*tr. cit. dial.*
*p. 33.*
] *cit. tr.*

w] *de nobil. c. 31. à num. 384. usque 391.* †) in der heiligen Gott-wohlgefälligen Haußhaltung *p. 1155. & 1157.* *] *tetrab. 2. ſerm. 2. c. 41.* **] *ſect. 10. c. 14.* x] *Pſ. 81. v. 1. & 6. 1. ad Corinth. 8. v. 5. Exod. 22. v. 9.* y] *de vita Conſtantini Imp. l. IV. c. 1.* z] *l. unic. de comit. & archiatr. l. 12.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-265852-p0006-7

*atros intra palatium militantes ſi comitivæ primi ordinis nobilitaverint gradus, intra vicarios taxari præcipimus, ſive jam pridem depoſuerint militiam, ſive poſtea depoſuerint, ita, ut inter vicarios & duces, qui adminiſtraverint, & eos, qui comitivam primi ordinis meruerint, nil interſit niſi tempus, quo quis adminiſtraverit, vel comitivæ adeptus inſignia eſt*: quantæ verò ſpectabilitatis ac potentiæ fuerint *vicarii* & *duces*, quibus æquabantur *Comites Archiatrorum primi ordinis*, è Bulengero 1) & Lazio 2) clarum eſt; ſic, ut *Comitiva Archiatrorum* ſolô *Illuſtratu ſeu Illuſtrisſimatu* ſaltim inferior extiterit. De Comitibus autem referunt idem *Lazius* 3) & *Bulengerus*, 4) *quod Principes aulamque principum peregrinationibus aut expeditionibus ſequebantur, & circa ipſos & in aula præcipuè honoratô locô verſabantur*; vel presſiùs ſecundùm *Ammian. Marcellinum* 5) *erant amici principum, quos in interiorem amicitiam & conſilia, ſive*, uti *Ælius Spartianus* 6) ſcribit, *in contubernium ſibi adſciſcebant, quique in aula officio alicui præerant, ac comitatum principis honore aliquô adminiſtrando augebant*. Talis Comes memorante *Aëtio* 7) audiebat Andreas Medicus, cujus etiam medicamenta quædam idem exhibet; item, Vindicianus ſub Valentiniano & Valente Imperatoribus, cujus epiſtola quædam ad Valentinianum hodienum ſupereſt. Hic ipſe Medicos honorandi mos jam apud Perſas receptus erat: ibi ſiquidem *convictores & familiares regum ut amici alii & parili cum Perſarum Primoribus & Satrapis honore* æſtimabantur. *Democedes medicus celebris* teſte Herodoto 8) regi Dario ὁμοτράπεζος erat. *Divum* noſtrum *Hippocratem* ab Artaxerxe Rege *pari*, ſi apud ipſum comparuiſſet, *cum Perſarum principibus honore* afficiundum tùm Artaxerxis ipſius tùm Hyſtanidis Helleſponti præfecti epiſtolæ 9) teſtatum faciunt. In Græcia *Acarnanes* medicus ab Alexandro M. in *fidelisſimorum amicorum ordinem* ſuſceptus legitur apud *Diodorum*, o) *Senecam* a) *Valer. Maximum* b) *Plutarchum* c) & *Arrianum*. d) Quantum *Eraſiſtratus* medicus *Clariſſimus*, apud Seleucum, Syriæ Regem, *Stratius* apud Eumenem II, Pergami Regem, *Olympus* apud Cleopatram, Ægypti Reginam, (utpote quô *Conſiliario* & adjutore uſa fuerat,) *Tribunus* apud Choſroën, Perſarum Tyrannum, (quem ex graviſſimo morbo liberabat,) valuerint, videri poteſt apud *Appianum* e) *Livium*, f) *Plutarchum* g) & *Procopium*. h) Iſtud inſignis dignitatis præmium medicis apud Romanos denegatum fuiſſe cenſuit Franc. Robertellus, i) utpote qui pro ſervis ibidem habiti fuiſſent: atque hunc in finem ab ipſo & aſſeclis loca quædam Suetonii k) pro *medico* vocabulum *amico*, & vice verſa l) *amici* pro *medici*, ſubſtituendo, contra omnium & veterum & recentiorum ſcriptorum & excuſorum Codicum ſenſum, uti demonſtrat *Caſaubonus*, m) præfra-



ctæ

1] *l. 4. de Imp*[...] *Rom. c. 32. & 33.*
2] *Comm. Reip. Rom. l. 2. c. 4. & 9.*
3] *cit. loc. c. 11*
4] *ib. l. 2. c. 17*
5] *l. 26.*
6] *in Adriano.*
7] *Tetrab. 3. ſerm. 1. c. 16. ſerm. 2. c. 22. ſerm. 3. c. 5. & ſerm. 4. c. ult.*
8] *l. 3.*
9] *Oper. Hippocr. ed. Lind. tom. 2. p. 898. & 900.*
o] *l. 27. c. 31*
a] *l. 2. de ira c. 23.*
b] *l. 3. c. ult.*
c] *in Alexandro.*
d] *l. 2. Expedit. Alexand.*
e] *l. de bell. Syriac.*
f] *l. 45. no. 19. p.m. 1210.*
g] *in Anton.* h] *l. 2. de bell. Perſic.* i] *in annot. ad utriusque linguæ auctor. l. 1. c. 21.* k] *in Jul. c. 4.* l] *in Octav. c. 91.* m] *in animadverſ. ad loc. Sueton. all.*

cte ſatis corrupta ſunt: quem tamen *medicorum* oſorem maſcule aggreſſus *Joh. Henr. Meibomius* n) ipſum erroris evidentiſſimi convicit, remque ſolidiſſimis ex Hiſtoria depromptis argumentis in contrarium evicit: quando *M. Artorium* (de quo palmarius ibidem loci ſermo,) *& amicum ſimul* & medicum Imperatoris Auguſti non ex *Suetonio* tantùm, ſed ex ipſius *Auguſti Commentariis*, in quibus *amici titulo illum* dignatus fuit, niſi omnis fides deneganda ſit *Plutarcho* o) pateſcere ait. Verùm, quid rei nobis cum *ſolô Artorio*; plures divum Auguſtum habuiſſe medicos Imperator Imperatori teſtis eſt: recenſet enim *D. Antoninus* p) inter *amicos* Auguſti Arejum, Mœcenatem, *medicos*, inter quos referente *Cagnato* q) fuit *& Antonius Muſa*, &c. quin *& Andromachus Cretenſis Senior*, (qui primus titulum archiatri aſſumſit,) Neronis, r) *Xenophon* verò *& Valens* Imperatoris Claudii fuerunt *medici*. Ingenuæ iſtius medicorum nobilitatis apud principes perſonas Romanorum teſtimonium porrò exhibet *Tacitus* s] de *Eudemo* Liviæ Auguſtæ, uxoris Druſi Imperatoris & amico & medico, item t) de *Charicle*, medico inſigni Tiberii *amico, cum eo epulas celebrante*. Plurium adhuc ſub titulo *Archiatrorum* meminit *Meibom.* u) *Joannis* videlicet, *Epicteti, Demetrii, Magni, Priſciani*, &c. Hæc medicorum Palatii dignitas & prærogativa ad poſteriora quoque Imperatorum tempora devoluta eſt, inſcriptionibus aliquot antiquis, quorum trium copiam facit *laud. Meibomius* x) hoc probantibus. Illi quoque, qui Româ relicta Conſtantinopolin inhabitarunt Imperatores, medicos certos in numerum *amicorum* ſuſceperunt: ex *Suidæ* namque *Hiſtoria Oribaſium* Juliani Cæſaris *Familiarem* fuiſſe notum eſt: imò narrat *Gregor. Nazianzenus*, y) quod Valens & Valentinianus Imperatores certarint, quisnam Eorum *Cæſarium* medicum illuſtrem, ſibi magis adjungeret, & cujusnam *ille amicus* ac *familiaris* dicendus foret, quippe, qui jam ſub Juliano *primum inter* medicos *dignitatis gradum* obtinuiſſet. Recentius habet exemplum Joh. Cuſpinianus, z) de *Fridanco*, Güntheri Schwarzburgici, Imperatoris medico, *quem* Comitibus Naſſoviis *antiquâ familiaritate junctum fuiſſe* pronunciat; item *Laur. Schraderus*, aa) qui *Ricardum Feſanum*, Neapolitanum, *tanta* apud Hieroſolymæ & Siciliæ Regem circa annum 1332. *gratiâ polluiſſe* indicat: ut in epitaphio publico *Roberti, Hieruſalem & Siciliæ Regis, Conſiliarius & familiaris nominaretur.* *Summis* præterea *Immunitatibus*, *ac privilegiis inſignibus* donabantur medici: iis namque ab Imperatore Auguſto conceſſum erat *jus geſtandi annulos aureos*, de quo pluribus agunt *Suetonius*, 10) *Dion Nicæus*, 11) *& Imperator Julianus*. 12) *Imperator Conſtantinus* 13) ſequentis tenoris legem (quam poſtea repetiit *Valentinianus*,) in *honorem* medicorum promulgavit; *Medicos* &c. *immunes eſſe cum rebus, quas in civitate poſſident, præcipimus, & honoribus fungi; in jus autem vocari eos vel pati injuriam prohibemus: ita, ut ſi quis eos vexaverit, centum millia nummûm ærario inferat, à magiſtratibus vel qninquennalibus*

n] *Comment. ad formul. com. Archiatr. p. 10.*
o] *in Bruto.*
p] *l. 8. de vita ſua.*
q] *var. obſ. l. 2. c. 15.*
r] *Galen. l. de theriaca c. 12.*
s] *annal. l. IV. c. 3.*
t] *l. 6. c. 1.*
u] *l. all. p. 22. 23.*
x] *tr. alleg. n. 2. p. 18.*
y] *in Orat. de vita fratr. ſui Cæſarii.*
z] *in vita Imper. Guntheri Schwarzb.*
aa] *Monument. Italic. l. 2.*
10] *in vita Auguſti c. 57 it. in Jul. Cæſ. c. 42.*
11] *in vita Auguſti.*
12] *Epiſt. 26.*
13] *Cod. Theodoſ. l. XIII. tit. 3.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-265852-p0008-8

*bus exactis, ne ipſi hanc pœnam ſuſtineant. Servus iis ſi injuriam fecerit, flagellis debeat à ſuo Domino verberari coram eo, cui fecerit injuriam, vel ſi Dominus conſenſit, viginti millia nummorum fiſco inferat, ſervô pro pignore, donec ſumma hæc exſolvitur, retinendo. Mercedes etiam eorum & ſalaria reddi præcipimus.* Item: *Beneficia divorum retro principum confirmantes medicos &c. uxores etiam & filios eorum ab omni functione & ab omnibus muneribus publicis vacare præcipimus nec ad militiam comprehendi, neque hoſpites recipere, nec ullo fungi munere, quò faciliùs liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant.* Taceo jam *Scholas ædes & ſtatuas cum inſcriptionibus in gloriam* medicorum extructas, quarum mentionem injiciunt. *Plinius*, 14) *Theodoretus*, 15) *Pauſanias*, 16) *Mercurialis* 17) *ex Strabone*, 18) *Meibomius* †] & *Martin. Smetius*; 19) imprimis autem egregias *Scholarum medicarum marmoribus imaginibusve exornationes* accurate tradit *Martin. de Roa.* 20) *Magna* inſuper *pollebant* medici *autoritate*: monſtrat hoc ipſum *Caſſiodorus* 21) *in Formula Comitis archiatrorum à Theodorico Rege Gothorum* conceſſa; cujus verba huc facientia talia ſunt: *Quapropter à præſenti tempore Comitivæ Archiatrorum honore decorare. Ut inter ſalutis magiſtros ſolus habearis eximius, & omnes judicio tuo cedant, qui ſe ambitu mutuæ contentionis excruciant. Eſto arbiter artis egregiæ, eorumque diſtingue conflictus, quos judicare ſolus ſolebat affectus. In ipſis ægros curas, ſi contentiones noxias abſcidis. Magnum munus eſt ſubditos habere prudentes, & inter illos honorabilem fieri, quos reverentur cæteri.* Et paulò poſt: *Indulge te quoque Palatio noſtro. Habeto fiduciam ingrediendi, quæ magnis ſolent pretiis comparari. Nam licet alii ſubjecto jure ſerviant, tamen rerum Domino ſtudio præſtantis obſerva. Fas eſt tibi nos fatigare jejuniis, fas eſt contra noſtrum ſentire deſiderium, & in locum beneficii dictare, quod nos ad gaudia ſalutis excruciet. Talem denique tibi licentiam noſtri eſſe cognoſcis, qualem nos habere non probamur in cæteros.* Super quæ verba *Eruditiſſimum Meibomium* 22) evolvere non pigebit, imprimis autem legi meretur *locus*, 23) ubi de *jurisdictione medicorum* ſermocinatur. Maxima verò medicis ex *conſtitutione Zaleuci* conceſſa fuit *autoritas apud Locros Epizephirios* recenſente ſic *Athenæo*; 24) ut, ſi vinum ſaltim aliquis *extra* eorū *mandatum* guſtaſſet, capite plecteretur. Et in urbibus olim illorum Eximios *diis* æquiparatos & *pro iis cultos* eſſe præter alios *Caſtellanus* 25) refert, ex eo forſitan, quod homines *in ipſis* ſalutis ſpem *poſt Deos* collocatam haberent. Uſu venit id ipſum *Venerando noſtro ſeni, Hippocrati*; is enim ob depulſam peſtem ab Athenienſibus & alia patriæ præſtita beneficia per decretum 26) *non ſolum in civitatem receptus*, verùm ab omni Græcia *divino cultu exceptus* eſt, & Epidaurus tota, recenſente ita *Almeloveen* 27) *univerſos* eidem *lucos*, *multa templa*, & neſcio *quæ non ſolennia, conſecravit.* Pari cultu adoratus eſt & *Æſculapius*, de *cujus*

- 14] *H. N. l. 34 c. 8.*
- 15] *Serm. 3. p 42.*
- 16] *de vet. Græc. Region. l. 2.*
- 17] *Var. lect. l. 2. c. 12.*
- 18] *l. 13.*
- †] *ſupr. cit. tr. no. 25. p. 46. 47.*
- 19] *Inſcript. p. 28.*
- 20] *Singular. l. 3. c. 2.*
- 21] *Variar. l. 6. c. 19.*
- 22] *Comment. ſupr. cit. no. 37. 45. usq; ad fin.*
- 23] *ib. p. 21. 22.*
- 24] *l. 10. c. 7.*
- 25] *l. d. vit. Illuſtr. med.*
- 26] *hoc vide Op. Hippocr. Lind. tom. 2. p. 936. Conf. & p. 952. §. 2. tot. p. 955. §. 4. no. 8. & p.*
- 27] *Invent. nov - antiqu. §. 6. p. 54.*

*tem-genus & vitā*

*Hippocr. ib. p.*

*templis & ædibus, fanis, delubris, aris, ſimulacris, ſignis & ſtatuis* permulta extant apud *Pauſaniam.* 28) Recentius *magnæ autoritatis* exemplum *è Cominæo* recenſet *Camerarius* †] medici *Ludovici* XI. Galliarum Regis: quem Rex *magnopere metuerit*, & ſæpius de *illius aſperitate nimia* apud *familiares* ſuos quæſtus fuerit. Julius Cæſar, uti habet *Suetonius*, 29) medicos, quò libentiùs urbem inhabitarent, *civitate donavit*; & Auguſtus Imperator in magna annonæ caritate omnibus peregrinis expulſis medicos manere juſſit. *Largiſſima* tandem etiam *ſalaria & ſtipendia dabantur* medicis, Principum potiſſimùm valetudinis cuſtodiæ dicatis, *ubertimquè remunerabantur.* Mentionem injicit annuorum ſtipendiorum archiatris Romanis exhibitorum Plinius, 30) ea fuiſſe CCL. *Seſtertia*, h. e. ſex mille ducentos & quinquaginta aureos; de quo monetæ valore ejusque differentiis conſuli poterit *Vocabularium rei nummariæ*; 31] pariter & *ipſis*, perhibente *Diodoro Siculo*, 32) & *Proſpero Alpino*, 33) *annona ex publico largiebatur.* De *Jacobo Cauterio*, memorati Ludovici XI. archiatro, legitur ap. laud. *Camerarium* 34) eundem *pro ſalario menſtruo decem millia aureorum aſſignata habuiſſe, inſuper ipſius nepoti Epiſcopatum Anbianenſem & munera publica amicis & propinquis ejus conceſſa fuiſſe.* Ulterius Manilius Cornutus, ditiſſimus Provinciæ Aquitaniæ Legatus, à mentagra fœdiſſima reſtitutus, medico *honorarii* loco CC Seſtertia ſeu 5000. aureos perſolvit. *Galenus* 35) à Boëtho viro conſulari ob uxorem ex morbo ſanatã quadringentos aureos *ſoſtri* loco accepit. *Thadæo Florentino*, recenſente eôdem *Camerario*, 36) extra urbem proficiſcenti ſœpe *ſingulos, in dies 50. coronati* numerabantur; *huic* Honorius IV Pontifex, ex morbo infirmus, ſcribente ſic *Tracagnotâ*, 37) quotidie *quadringentos nummos aureos* [*ſeu libras auri tres*,] & priſtinæ ſanitati reſtitutus *decem mille* perſolvebat: integrum pretium *Camerarius* 38) (quotidie centum coronatos computans) per totum curæ tempus *decem millium coronatorum* æſtimat. Majorem adhuc munificentiam expertus eſt *Eraſiſtratus*, dum Antiochum, Seleuci filium, Stratonices novercæ amore captum & tabe confectum ac moribundum fere ſingulari prudentia ex hoc malo eripuiſſet; *ſexaginta enim aureorum millibus donatus eſt.* Sed, ne juſto prolixior ſim, ad alia probandæ medicorum *dignitatis ac excellentiæ* argumenta me confero: & primitùs quidem *Cultores & Admiratores Artis Eminentisſimos* ſiſto: ratus, ut quo *eminentiores* ſint *perſonæ Arti faventes eamque tractantes*, eo etiam *excellentior* ſit & *ars* ac *tota eandem ritè & prudenter exercens cohors.* Ecquis verò DEO TRINUNO, CHRISTO, SALVATORE noſtrô *excelſior*? quis Angelis inter creaturas *major?* quis Imperatoribus, Regibus, Pontificibus & Perſonis principibus aliis, *dignior?* quis Prophetis *honoratior?* quos omnes medicinam æſtimaſſe, eandemque exercuiſſe in propatulo eſt. DEUS ſiquidem ter optimus maximus variis in Scripturæ locis 39) *ſanator* vocari amat, illumque *ſanaſſe* Ezechiam inibi 40) extat. CHRISTUM verò DEUM-HOMINEM deſperatiſſimos quosvis mediis etiam naturalibus adhibitis hinc inde locorum perſanaſſe morbos novum Teſtamentum

41]

28] *de vet. Græc. Region. paſſim, de quibꝰ conſul. Index ſub nom. Æſculapii.*
†*Hor. ſubciſ. cent. 1. c. 4.*
29] *in vita Cæſar. l. 19. c. 1.*
30] *H. N. l. 29.*
31] *Collect. è Budæi, Camer. & Melancht. annotat. Lit. A. 3. 4. 5.*
32] *l. 1. c. 82.*
33] *de med. Ægypt. l. 1. c. 1. p. 1. & 21.*
34] *loc. all.*
35] *de præcogn. ad Poſth. c. 8.*
36] *laud. loc.*
37] *Hiſt. mund. part. 2. l. 15.*
38] *ibid.*
39] *v. g. Exod. c. 15. v. 26.*
40] *IV. Reg. c. 20. v. 5.*

41] perhibet. D. Hieronymus propterea Salvatorem noſtrum vocat archiatrum, utpote & animarum & corporum etiam noſtrorum medicum & opitulatorem primarium ac perpetuum. Ab *Angelo Raphaele* porrò *Artem medicam* exercitam legere eſt in in ſacris paginis, 42] Pontificum quoque Romanorum aliqui medicinam profeſsi ſunt, inter quos *Iohannes XXII.* eminet, quippe qui, memorante *Platina*, 43] *Canones in medicinam* ſcripſit; præterea *Nicolaum V.* *Euſebiumque* medici *filium*, & plures Eorum, *Regumque* innumeros *Artem hanc excoluiſſe* enarrat *Obicius*, 44] ê quibus primarii fere, utpote ſimul *Artis Doctores* per omnia tempora egregii, quorum *Scripta plurima* ſuperſunt, fuerunt *Meſues* Regis Damaſi nepos; *Avicennas* Cordubæ Princeps. Marſil. Ficinus 45] in ſcenam producit *Saporem* & *Cingem* Medorum, *Sabid* Arabum, *Hermetem* Ægyptiorum, & *Mithridatem*, (a quo & *mithridatium*, antidotum ſatis celebre, nomen ſortitum,) Perſarum Reges: de quorum ultimo ſpeciatim agit *A. Gellius*. 46] Plures adhuc enumerat *Plinius* 47] & *Plutarchus*, 48.] *Gentium* videl. Ilhricorum, *Xamolxin* Thracum, *Attalum* Pergami, *Evacem* Arabum, Reges, & alios, quorum magnum Catalogum congesſit *Mœbius*. 49] Quid? quod *ſolis Regibus & Illuſtribus Perſonis* [minime trivialibus,] *certos morbos ſanare* conceſſum ſit à *divino Numine*, de quo privilegio regum ſpeciali legat, qui volet, Camerarium. 50] E *Prophetis*, manifeſtante hoc S. Codice, 51] medicum ſe exhibuit *magnus Eſaias*, cum Regi Ezechiæ pro ſanando ulcere peſtifero *maſſam de ficis* ordinaſſet. Habent jam obtrectatores noſtri, ex quo cernant, quanti ſint æſtimati medici veri & prudentes, quantaque *ipſorum* fuerit *Celſitudo & Excellentia*, quæ hodienum adhuc viget. Sunt namque medici *Cæſarum Romano-Germanicorum Regumque in Europa plurimorum Comites Palatii* † *& archiatri*, [ſuper quo vocabulo ultimo, *Principum* ne an *Principes Medicos* ſignificet, ingenioſe diſputat Meibomius,]* *Ordini* etiã *Equeſtri* S. R. I. incorporantur, qui *ſublimior nobilitatis gradus* non ita pridem à S. *CÆSAREA MAJESTATE* D. ab Hellenbach/ *Medico ac Metallurgo Civitatum Ungariæ montanarum inſigni, plurium diſtrictuum ibidem Domino:* ſub titulo, des H. Röm. Reichs Freyherr/ clementiſſime collatus eſt. *Dominantur* præterea aliis; *magnis muneribus & beneficiis ſummisq; officiis*, experientiâ hoc docente, *afficiuntur*; *autoritate dicendi pollent* coram principe & aliis; *ſufficientibus ſtipendiis donantur*; quin eo proceſſit *horum dignitas:* ut in *Academiarum & Scholarum publicarum auditoriis illis ipſis Artem profiteri*, *Doctorumque titulô* multis immunitatibus & privilegiis gravi *Artem ſectantes ornare*, conceſſum ſit; *Sententiæ ab illis latæ publica autoritate in judiciis excellant*; atque *Collegia ipſorum Nomine et Titulô* Facultatis Inclytæ, Gratioſæ, Illuſtris, Gratioſisſimæ, Illuſtriſſimæ, inclareſcant. Porro *bene conſtitutæ Res-publicæ & Civitates iisdem* in ſanitatis Civium ſuorum augmentum & emolumentũ, publicis ad id deſtinatis ſalariis

41] *Johann. c. 9. v. 6. Marc. c. 1. v. 30. ſeqq. & c. 7. v. 32. ſeqq. it. 8. v. 22. ſeqq. Matth. c. 8. v. 17. & c. 9. v. 18. ſeqq. & loc. parall. paſſim*

42] *Tob. 6. & 12. v. 14.*

43] *in ejus vita.*

44] *tr. ſæp. cit. dial. 1. p. 95. è Tiraqv.*

45] *Epiſt. l. 1. epiſt. ad Thom. Valerium.*

46] *Noct. Att. l. 17. c. 16.*

47] *Hiſt. N. l. 25. c. 2.*

48] *in vita demetrii.*

49] *Inſtit. phyſiol. c. 1. §. 2. & 14. & c.*

50] *Hor. ſubciſ. cent. 3. c. 42. p. m. 143.*

51] *IV. Reg. 20. v. 7. & Eſaiæ c. 38. v. ult.*

†] *Conf. G. G. L. Relat. de nov. antidyſent. Americ. p. 36. 37.*

*] *Comm. all. à p. 13. usq; 26.*

riis, *utuntur*; ac (modo ſe ipſos trivialiter non tractent, quod tamen hodiè, proh! fieri à plurimis ſolet, ) *ab omni hominum genere reverenter habentur*; ita: ut *principes* etiam & *aliæ perſonæ honoratiores Eorum Artem excolant* ac *exerceant*, paſſim proſtantibus exemplis, quæ afferre tædioſum foret. Chirurgos quoque, (non equidem *tales*, *qui Chirurgiam opificii inſtar* tractant, & magis *tonſores* quam *Chirurgi* ſunt, i. e. ſo die Kunſt zum Handwerck machen/ qemadmodum & ita vocatur in der Nürnbergiſchen Geſetzordnung 52) & à *Baſilio Valentino*; 53) Sed *illos, qui ſolidè docti* ratione & experientia utentes *phyſico-mechanice in Arte Chirurgica operantur*) *multum olim æſtimatos eſſe* *Langius* 54) nos docet: quatenus nec ante nec poſt bellum Trojanum ulla apud Græcos bene inſtituta fuerit Reſpublica, quæ *ſuos* ex ærario publico non *aluerit Chirurgos*; exemplo eſt *celebris Græciæ Medicus & Chirurgus*, *Galenus*, *quem* ſacerdos Æſculapii in Pergamo *curandis gladiatoribus* præfecit. Imo *Veterem Medicinam* temporibus præprimis belli Trojani *totam* fuiſſe *Chirurgicam* adducit e Platone Ioann. Neander Bremannus. 55) Inſuper Chirurgorum *Artisque Chirurgicæ* excellentiam, tradente *Soolingen*, 56] prolixiſſime deduxit Dionyſius daça Chacon, Regis Hiſpaniæ Philippi II. *Medicus & Chirurgus*, 57] it. breviter nervoſe tamen Hieronym. Fabr. ab Aquapendente. 58] Hodie m. in Belgio, Anglia, Italia, & alibi locorum, multos *Excellentiſſimorum Doctorum & practicorum Chirurgiæ titulo inclareſcere* quam notiſſimum eſt; in cujus rei teſtimonium ſatis fuerit *Dn. Didloo*, *Chirurgum & Anatomicum Anglum*; *Barbette*, *Medicum & Chirurgum Amſtælodamenſem*, & *Cornel. Soolingen*, *Belgam*, adduxiſſe: qui non *bartitonſores* ſeu *opifices*, ſed *artifices Chirurgiæ* extiterunt *peritiſſimi*; *quales* & in *Celebri noſtra Germania* hinc inde dari multis exemplis demonſtrari poſſet, niſi prolixitatis evitandæ cauſa abrumpendum jam eſſet. Quid itaque mirum, ſi & TU, NOBILISSIME atque DOCTISSIME DN. CANDIDATE, Artis Æſculapideæ *ſtudio* per plures jam annos operam navans, thema Tibi inaugurale elegeris Chirurgicum. Tantum enim abeſt: ut hoc ipſo *dignitati* TUÆ aliquid deroges: ut potius in utroque & *Clinices & Chirurgiæ ſtudio* TE *eruditiſſima ejus elaboratione* ſolide doctum eſſe monſtres; monſtres etiam, *quales quantosque* in Arte Hodegetas habueris: eminent *inter hos* prudentiſſimus BOHNIUS, & experientiſſimus PETERMANNUS, jam beatus; *quos manuductores* olim habuiſſe cum deliciis recordamur. Macte eſto artium tantarum *virtute*, & impoſterum quoque, ſupremis Honorum titulis ab ILLUSTRI ALMÆ NOSTRÆ FRIDERICIANÆ FACULTATE MEDICA condecorandus, TE Patriæ & Exteris Medicum atq; Chirurgum ſiſtas *ex praxi celebrem*, *uberesque* exinde *fructus percipias*, *ac honorum* magnorum *cumulos* ſub benedictionis divinæ tegmine conquiras.

Dabam e muſæo menſe Septembri Anni 1703.

52] vor die *medicos* Apothecker *&c.* §. 33.

53] im Triumph-Wagen *Antimonii*.

54] *Epiſt. l. 1. ep. 30. ſub fin.*

55] *l. de medicin. natalit.*

56) *in prælogquio* der Wund-Artzney.

57] *Pratica y theorica de Cirugia en Romance y en Latin in præfatione.*

58] *in præfat. ad Chirurg.*

Uf 1378

ULB Halle 3
001 958 240

sb

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-265852-p0013-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-265852-p0014-1

9

# NNIS ADAMI
# FSTETERI,

octoris & Practici Hallenſis,

# STOLA
# ULATORIA,

um hujus & ſuperiorum temporum au-
tia e Jure & Hiſtoria demonſtratur,)

ad

*UM atque DOCTISSIMUM*
*RUM - JUVENEM*
DOMINUM

## ODOFREDUM
## HLMANNUM,

rimma-Misnicum,
RALEM SPECIMINE INAUGURALI
GIO IMPETRANTEM.

---

e, Typis Johannis Gruneri, Acad. Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-265852-p0015-7